



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid requiratur ad jejunium Ecclesiasticum, & quanta ejus obligatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

CAPVT III.

Quid de Præceptis Ecclesia?

Resp. Et si ea sint plurima; præcipuè tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hic age dū restat de tertio, quia de 1. & 2. actū est in præcepto 3. Decal. de 4. & 5. infra l. 6. de Sacrament.

DVBIVM I.

Quid requiratur ad Ieiunium Ecclesiasticum, & quanta eius obligatio?

Resp. Ieiuniū ex præcepto Ecclesiæ, obligante sub mortali, requirit tres conditiones. Lay l. 4. t. 8. c. 1. n. 13.

I. Est unica tantum comestio de die, in ordine ad nutritionē. Quæ ita necessaria est cōditio, ut secunda comestione pecces mortaliter; reliquis autem supra secundam, summum venialiter tantum Lay. c. 1. n. 12. 13.

II. Est abstinentia ab esu carniū, itemque ovorum, & lacticiniorum; eò quòd ex carne originem trahant, multumque nutriant. Unde intra quadragesimam jure communi prohibentur, extra eam permittuntur. Imò intra eam, quibusdam locis consuetudo permittit, que ubiquæ notanda est. Bonac. d. ult. q. 1. p. 2. ex Sylv. Nav. Less. Azor. Laym. l. c. Fill. Fapund. p. 4. l. 1. c. 2. Adde, dispensatum quoad carnes etiam lacticinii & ovis vesci posse; non tamen vice versa: & cui est permissus esus carniū, etiam secunda refectio permissa videtur, ut contra Regim. Less. Nav. & c. probabiliter Azor l. 7. c. 10. q. 3. Fill. 1. 27. cap. 3. q. 4. Tol. & c. Confirmatque Bon. l. c. si esus carniū sit permissus, ob debilitatem naturæ, & non propter nauseam, vel damnum tantum, iv. Less. Fill. Azor. & c. Ratio, quia de essentia Ieiunii est abstinentia à carnibus.

III. Conditio est certa hora refectionis: quæ est

Q 6

circa

circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Idque non mathematicè computandum, sed moraliter. Dictam autem horam notabiliter, sine iusta causa, prævenire, mortale purat *Navar.* & quidam alii, sed probabilius docent esse veniale *Tol. & Fill.* eò quòd non violetur substantia, sed tantum circumstantia. *Tol. Less. d. 2. n. 13. vid. Laym. c. 2. n. 10 & seq.*

Dixi, *notabiliter, & sine causa*: quia prævenire ex iusta causa, v. g. si iter faciendum, si hospites dimittendi, &c. & absque ea, per mediam horam tantum, nullum peccatum videtur esse. Dilatio in vesperam, & licita est, & laudabilis, si nihil ante sumas. *Ex dictis resolves.*

I. Non solvitur jejunium per divisionem prandii, ob negotium incidens, vel si quid sumatur per modum medicinæ, vel ob debilitatem, aliamve causam rationabilem, uti apud religiosos faciunt ministri, & lectores mensæ: quia non nisi unicam refectioem intendunt. Et hinc *Sanch. 10. 2. opus. l. 5. c. 1. dub. 24. Escob. t. 1. E. 7. c. 3. num. 29.* excusant famulos mensæ ministrantes, si aliquid prægustent aut ex reliquiis gulosè sumant, tum ut melius serviant, tum ut famem sublevent: (intellige, si cum illorum refectioem licita moraliter uniat:) Nec solvitur per sumptionem electuariorum, vel crebriore haustum (ante quem modicum sumere, ne potus noceat. permittit, *Azor. t. 1. F. 7. c. 3. num. 38.* & quidem toties, quoties, biberit, dummodo non in fraudem jejunii, v. g. vel 6. amygdalas, vel quid simile, *Regin. &c. cum Dian p. 1. 2. 9. E. 24.* quia ordiantur potius ad alterationem

terationem corporis, vel digestionem ciborum, quam nutritionem.

Excipietamen: 1. Si quis sumeret lac, jusculum, & similia, quæ sive sorbeantur, sive comedantur, non habent rationem potus, sed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum. 2. Si quis poma, pira vel etiam uvas in magna quantitate sumeret, quia habent rationem cibi. *Dicasst. & alii* 6. cum *Dian. p. 9. t. 6. R. 14.* 3. Nisi quis in magna quantitate electuaria, in fraudem jejunii, sumeret. Qui verò in potu valde excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra jejunium, peccaret, saltem mortaliter. *Laym. l. c. num. 7.*

II. Jejunium non solvitur per collatiunculam vespertinam, etsi hoc non ad somnum, sed nutritionem ordinetur: quia consuetudo permittit. Addo, *vespertinam*: quia sine causa non licet illam sumere manè vel meridie: ex justa tamen causa licet utrumque ut si fiat ratione debilitatis negotiorum, studiorum: sine ea, erit veniale tandem cum non violetur substantia jejunii.

Quoad eius quantitatem, communiter designatur quarta vel quinta pars integræ cænæ, contra *Dian. l. p. 1. 4. R. 117. Turv. & c. docet Regin. c. 2. l. 6. nu. 185, Laym c. 1. n. 9. Fill. tom. 2. t. 27. p. c. 22. q. 7. num. 33.* dicens, ita decisum esse in celebri academia Theologorum qui omnes in quartam partem consenserint. Idem probat *Fscob. t. 1. l. 13. c. 3. num. 61,* si quidem coena ordinaria duarum librarum

brarum pondus non excedat, quia talis in reliquis præceptis modica censetur, ac proinde tantò quis magis minusve peccat, quanto magis vel minus transgreditur. Adde, quibusdam locis ex consuetudine plus permitti secularibus, quàm religiosis; nobilibus, quàm plebeis, & in frigidis regionibus, quàm in aliis, ut notat *Laym. l. 4. t. 8. c. 6.* & *Bon. l. c.* Plus item quibusdam locis in vigilia Nativitatis Domini (& alibi in cæna Domini) permitti ex consuetudine, dicit *Medin. Caiet. n. 34.* & *Sanch. in opusc. Esc. t. 1. E. 7. c. 3.* quod *Bon.* non improbat, ubi ea consuetudo est recepta.

Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ad nutritionem communiter ordinati, quique inter fercula ferè apponuntur. Permittuntur autem leviores, ut fructus, aliavè ex saccharo, & melle confecta, & pro more regionis parum butyri & casei, ut in regionibus Septentrionalibus ob fructuum inopiam, *Laym. l. c. n. 9.*

III. In confessione non sufficit dicere, non servavi, aut fregi jejunium; sed addendum, utrum refectione multiplici, an esu carniùm. Etsi hoc, utrum semel, an sæpius quantitatem notabilem sumpserit: quia probabile satis est, etiam in hac materia, parvitatem à mortali excusare, ut docet *Bon. tom. 2. d. ult. q. 1. p. 2.* & *Tan. tom. 3. d. 7. q. 3. d. 5.* v. g. si coquus, aut ægroti minister, parum carnis prægustent, *Escob. l. c. n. 54.* *Sanch. in opusc. tom. 2. l. 5. c. 1. dub. 12. n. 10.* vel ex aliis cibis quartam tantum partem collationis iserotinæ, sive unam vel duas uncias sumat, hanc enim esse materiam parvam, cum *Turrian.* & *Legn.* docet *Dia.*

p. 5 t. 5. R. 11. & p. 8. t. 7. R. 54 esse probabile. Si autem sæpius eodem die parum sumeret, peccaret graviter quia materiz illæ coalescerent in unam magnam, ut contra *Salas* docet *Dian. p. 3. t. 6. R. 43.* Denique si sit in quadragesima, utrum frangeris esu ovorum, lacticiniorum. Tamen si enim *Dian. t. 9. R. 45. & tom. 6. miscel. R. 80.* citans multos Doctores dicat certum esse, quod sit mortale, si non ex jure positivo, saltem ex consuetudine, in omnibus ferè mundi partibus recepta, vesci ovis & lacticiniis in Quadragesima: probabile tamen est, & tutum (saltem in his Germaniæ partibus) esse tantum veniale, *Laym. c. 1. n. 3. Fagund. l. c. cap. 2. & c.* Tum quia, licet consuetudo habeat, ea tamen non semper sub peccato, præsertim mortali, obligat, *v. Fill. t. 27. c. 3. Bon. n. 2.* Tum quia Ecclesia non tam graviter ad hoc obligat; ut patet tum ex verbis ipsis, tum ex faciliore dispensatione in his, quam in carnibus. Obquam causam etiam, laridi & adipis usum, facilius concedi posse pauperibus, docet *Laym. l. 4. t. 8. c. 1. n. 5.* Imo ait; nec divitem propter eum usum, continuo damnandum esse peccati mortalis, præsertim cum *Sylv. v. ieiunium*, & alii dicant, eum, cui ovorum & lacticiniorum usus permissus est, etiam laridi, & sagiminis permissum videri: idque non improbet *Azor. l. 7. c. 10. q. ult. v. Lay. hic Fagund. p. 4. l. 1. c. 2. nu. 20.* ubi dicit, pinguedinem inter carnes non computari. *v. Dian. p. 1. t. 9. R. 21.* Verum in his videndum ubique, quid recepta piorum consuetudo ferat, à qua non temere recedendum. *Azor. l. 7. c. 10. q. ult.*

Dixi:

Dixi: si sit in quadragesima, quia extra eam licite vescitur ovis, qui debet jejunare, v.g. ob Jubilæum, *Henr. &c.* vel ex pœnitentia sacramentali, *Fagund.* vel ex voto, aut in Vigilia. *v. Dian. p. 1. t. 9. K. 5. & 6.*

DUBIUM II.

Qua causa excuset à Jejunio.

Resp. Hæ sequentes 1. Superioris dispensatio: quia tamen non est opus, si necessitas sit evidens, sed in dubio tantum: idque sive ad esum carniū, sive ad secundam refectionem. Talis autem superior, est Episcopus & Parochus, etiam præsentē Episcopo. quando legitima consuetudo sic habet. Imò *Sylv. & Sanch. de matr. lib. 8. d. 9. num. 27. & in opusc. 1. 2. l. 5. cap. 1. d. 5. n. 18.* absolute affirmat posse dispensare præsentē Episcopo: quia, inquit, ad Episcopum non recurritur in minimis, ut usus habet, quod Episcopi sciunt, & non contradicunt. Verum id totum pendet ab usu & consuetudine, sine qua non licebit. *v. Trul. l. 3. c. 2. d. 7.* Item Prælatus (& in eius absentia. Vicarius illius, ut habet *Sanch. l. c.*) respectu suorum religiosorum: non tamen Confessarius, licet privilegiatus, si non sit Parochus: quia non habet jurisdictionem in foro extremo, *Sanch. l. c. contra Pularium.* Unde tantum potest judicare de iustitia causæ. Causa autem valida ad dispensandum, erit vel vera, vel quæ talis putatur: sufficit enim credulitas inculpata. Item, cum quis bona fide